

Per 5. primi  
Elem.  
Per 34. pri-  
mi Elem.  
Per 6. primi  
Elem.

æqualis angulo  $k a c$ , igitur angulus  $k l m$  est æqualis angulo  $k a c$ , igitur residuus  $f l a$ , est æqualis residuo  $f a l$  quare  $f a$  æqualis  $f l$ . Si igitur quantum procedit latus  $m l$  in  $a c$ , tantum descendat punctum in linea  $l m$  punctum perpetuo erit in linea  $a c$ , & per eam mouebitur. Vnde sequitur primo.

Cor. I.

Quod punctum  $l m$  mouebitur duobus motibus vno recto in linea, scilicet  $l m$ , & altero circulari .i. circa centrum  $x$  & tamen mouebitur verè motu recto tantum in alia linea, scilicet  $a c$ , & hoc est primum admirabile. Aliud est.

Cor. II.

Quod punctum mouebitur duobus motibus, & per ipsos mouebitur ad vnguem vno motu æquali vni eorū, ita quod alius motus nihil addet nec minuet. Patet quia mouebitur, gratia exempli, primò motu ex  $l$  in  $f$ , & post motu circulari, & verè erit motum ex  $a$  in  $f$ , qui motus est æqualis motui priori proprio, & solo ex  $l$  in  $f$ ,

*Propositio ducentesima septima.*

Proportionem agentium naturalium in transmutatione considerare,

Com.

Sit latitudo  $a b$  ad conuersionem terræ in aurum medium perfectionis  $a b$  sit  $c$ , & medium  $a c d b$ , cuius dimidium sit  $e b$ . Et fiat commutatio  $a c$  in  $f g$ , tēpore dimidium  $f g$ ,  $g h$  in  $g h$  deberet peruenire ad perfectionem  $d$ , quoniam ratio  $a c$  ad  $c d$ , vt  $f g$  ad  $g h$ . At verò dum transfret terra ad perfectionem  $c$  tota resistebat, iam ad eam perfectionem  $a c$  nō resistit, nisi pro medietate, at proportio cuiuslibet quantitatis ad dimidium alterius producitur ex proportione eadem & dupla, dupla igitur est proportio agentis ad imperfectionē  $a c$  ei quæ est ad  $a b$  igitur in dimidio temporis  $g h$  acquireret perfectionem  $c d$ , & sit  $g k$  dimidium  $g h$ , erit ergo tempus totum  $f k$ , in quo acquireret  $a d$ . At ratio hæc cōstare nō potest, nā si diuidatur spatium  $a b$  in trientes fient triētes duo, & quarta pars in perfectione  $a d$ . sed iam multo citius acquireret quam in  $f k$  tempore, quod est dimidiū & octaua pars. Sed hoc nō cogit, quoniā partes primæ sunt semper contumaciores, & vt disponuntur sunt magis obediētes, nō iusta proportionem simpliciter, sed vt sunt in materia, & ideo hæc actio est similior proportioni excessus, & est Arithmetica quam capacitatis scilicet Geometricæ.



Com.

Ex hoc patet, quod res quæ ad summam maturitatem perueniunt, maximè acquirunt perfectionem in exiguo tempore, vt gemmæ, aurum, infans. Ergo oportet maxime iuxta finem cauere, ne detur occasio vlla accelerandi partum.


*Propositio ducentesima octaua.*

Mota res à centro grauitatis per priorem

motum in reditu velocius mouetur, quam si quieuerit.

Sit  $a b c$  lectus pensilis, in quo homo

Com.



aut patera, in qua aqua vel vinum, & sit centrum grauitatis  $d$ , quod necessariò est in linea loci, cui annexus est lectus  $a g$ , & in patera loci medij manus continentis pateram cum centro quæ sit  $a g$ , quibus stantibus ostendendum est primo.

LEMMA PRIMVM.

Omne graue motum à centro grauitatis, restitutum ad eundem situm pondere mobili aut immobili, continente vltra centrum grauitatis naturalis violenter fertur.

Seu sit pondus per se non fluctuans in pensili lecto, seu humor in patera, quum pondus moueatur solum ratione vna, scilicet lecti pensilis homo vel plumbum, humor autem aqua vel vinum bifariam & ratione pateræ si mobilis sit in a laxa manu, & etiam per humorem ipsum redeuntem ad locum suum: aded quod si esset & immobilis patera, humor saltem resisteret propria inundatione ad locum suum centri grauitatis, licet in patera esset immobilis locus grauitatis velocius & maiore cum impetu, aded vt transeat versus  $e$ , cum fuerit motus primus ex  $e$  in  $f$ , & restitutio ex  $f$  in  $e$ : seu in immobili pondere mobilis continenti, vt in lecto pensili: seu in immobili continente, scilicet postquam ad locum suum restitutum fuerit per vim retenta patera à manu iuxta situm priorem in  $a$ , mobili autem contento, id est, humore, multo autem magis contento, & continente mobilibus. Vt si patera & humor ipse simul moueantur, nam & patera transgreditur locum suum, & humor duplici motu superactus transgredietur motum naturalem. Cum enim  $a d$  est remotum a  $g$ , & est in  $f$  mouetur maiore impetu, quam sit pro ratione ponderis, vt demonstratum est, igitur transibit ad  $e$ , cum ergo redeat ad  $g$  motu naturali, necesse est vt motus violentus sit validior ea parte naturalis, qua  $d$  resistit, dum est in  $g$ , ne dimoueatur a  $g$ , si igitur tractum ad  $c$ , superauit vim qua manet in  $g$ , in eo quod mouetur ad  $f$ , igitur in reditu mouebitur tantum vltra  $g$  versus  $e$ , quantum

Propos. 30.